

37

**O**perant electi reges uterque ut occupet sedem regni a quo  
 grani. Sane philippus prior oppidum illud obtinuit &  
 ibidem viros strenuos & nobiles in presidio constituit in  
 quos fuerunt walranus filius ducis de lymburc. & hainricus  
 dapifer de Walpurg & alii quod plures. Superuenit autem octo cum co-  
 loniensibus & aliis fautoribus suis. & obsederunt ciuitatem. Cunctis  
 interiores conclusi resistere non potuissent accepta pace & securi-  
 tate personarum dederunt ciuitatem. Tunc dominus adulfus qui tunc  
 erat coloniensium episcopus in sede regni coronauit ottonem in regem. Huius  
 quoque facti memoriam habet prefatus papa Innocentius in epistola  
 sua. Tota vero curia imperialis & officiales imperii adhaeruerunt phi-  
 lippo cum principibus quod pluribus. interim quippe redierat de ultra  
 marinis partibus. Conradus herbipolen. episcopus qui fuit cancellarius  
 hic declinauit in partem philippi. Prefatus quoque hermannus lat-  
 grauius de thuringia. hic cepit aduersari philippo dirum facinus cum  
 esset filius amice sue sperans ad se posse deuolui ius imperii. Phi-  
 lippus itaque prudenter vsus consilio censuit primum eos qui viciniore  
 erant bellis atterere & suo dominio subiugare. Quo circa adunato  
 exercitu alsaciam petiit in qua puincia terras inimicorum vastauit.  
 Primum vero diuertit ad quoddam castrum haldinburc prope argen-  
 tinam in planicie terre situm sed fossatis et edificiis valde munitum  
 quod cum cinxisset obsidione paucis diebus euolutis expugnauit  
 illud manu bellica & funditus euertit deducens eos captiuos qui  
 in illo erant. Postea castra in ruuach & in aphich expugnauit &  
 confregit Anno sequenti ad obsidionem argentinensis ciuitatis  
 properauit ubi sub urbia prius incendit et terras ciuium vastare cepit  
 Tunc videntes ciues se non posse resistere philippum tanquam dominum  
 proprium in ciuitate receperunt & ei fidelitatem iurauerunt. Episcopus quoque  
 in gratiam ipsius rediit. inter hec in partibus reni bella ubique pa-  
 guntur. Otto quoque vna vice cum exercitu ascendit usque ad spiram  
 sed compulsus rediit ad inferiores partes. frequenter commisse sunt  
 pugne inter eos maxime circa mosellam fluum & otto semper fu-  
 gatur. Inter hec desponsauit otto filiam ducis brabanzie sed eam po-  
 stea repudiavit. Quo circa principes terrarum & barones arte dyabo-  
 lica edocti. nec curabant iuramenta infringere. nec fide violare. &  
 ius omne confundere nunc recedentes quod plurimi a philippo ottoni  
 adherentes & conuersi. Prefatus quippe langrauius multociens  
 decepit philippum dolose ipsum circumueniens & rursus rebellans